



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ecclesia

Buchinger, Michael

Dilingae in Rhetia, 1556

VD16 B 8998

Ecclesia ubi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64468](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64468)

hoc est, cōgregationes, una in omnibus fides do-
cetur, unum Euangelion. Hjsdem omnes sacra-
mentis utuntur. Nulla cæremonijs certis caret:
Nihil dispar in tanta potest esse unitate. Ex hac
ergo concordia, atq; consensu ex omnibus resula-
tante, nascitur manifestum argumentum ueræ
ecclesiæ dinoscendæ.

ECCLESIA VBI.

AT reclamant dicaculi Anomystræ (quos
Græci uocāt ἀνομύστῃ) stentorea uoce: pe-
nes nos ista catholica ecclesia est, nos illi
filioli, si credere fas est, & coheredes Christi,
Rom. 8. Et quid nō audent argutuli? Quibus re-
spondemus & quidem paucis, nō enim commen-
tarios, sed tantum breues theses, primitiolas, &
curtam Πρωσάγωγην tractamus & offerimus:
si ueritas iamprimum, uti actanter gloriari sole-
tis, uobis authoribus reuelata est, ubi quæso spi-
ritus ille Dei intra 1500. annos sese cōtinuit: eū
sponsus manifestè dicat, uos cognoscetis eū, quia
apud uos manebit, et in uobis erit. Quod autē il-
la pollicitatio non ad solam apostolicum sena-
tum pertineat, sed ad uniuersos ecclesiæ my-
stas, omnibus catholicis planè cognitum es-
pers

Mar. 16.

Matth. 28.

perspectum esse debet. Si enim consolator ille, qui paracletus est & spiritus sanctus, ad Apostolos tantum pertinuit, quis post Apostolorum ex hac ualle lachrymarum emigratiōem, ueritatem docuit? Certe sicut nō solis Apostolis, sed posteris dictum est: Euntes docete omnes gentes: ita etiam ad uniuersos Ecclesiæ mystas pertinet, quod Christus dicit: Paracletus docebit uos omnia. Quomodo inquam uerum est, quod Christus dicit: Ecce ego uobiscum usq; ad consummationem seculi, si haecenus deseruit theantropos spōsam suam? Garriunt quidem Haresiote in prioribus seculis neq; Christum, neq; Euangelion, neque Baptisma, neq; fidem, neq; opera bona: &c. cognita fuisse: huius generis est illud, quod quidam dicere non erubuit, nempe Euāgelium se habere tam purum et opulentum, ut nunquam fuerit à tempore Apostolorum. Quid poterat dici θεατοῦκοί τ' εἶποι? Execrabiles & detestabiles sunt, inquit D. Cypria. Epistol. 13. lib. 3. qui tumidi & inflati aliquid sibi arroganter assumunt, &c. Quod si uerum est, ipsos esse Ecclesiam, non haecenus extitit Ecclesia, nec in spiritu. Item uana, imò nulla fides Christianæ religionis. Ergo nondum baptizati sumus, Et retinctio quam diaboli lychnobij periculose moliūtur, arcem obtinet

tinet palmamq; præripit. Sed blaterant Christū
 quidem, qui uere ἀναμάρτητος & impecca-
 bilis est, perpetuò adsistere concioni suæ, sed nō
 esse eam, quam nos dicimus, ueram Eccle-
 siam: dicant ergo nobis ubi prius uera Ecclesia
 fuerit, in oriente ne, an in occidente? Imò dicant
 uobis, si Romana Ecclesia Catholica, quam anti-
 quam, ut infra docebimus, Et catholicam uoca-
 mus, & in qua Hæreticæ baptizati sunt, à qua
 Biblia & sacramenta acceperunt, & absq; cuius
 suppetijs, nec suam synagogam conseruare pos-
 sunt Anabaptisticam. Si, inquam, hæc non est: di-
 cant nobis certò, ubi nam illa sit, & qui nam ad
 ipsam pertineant? miseri suæ Ecclesiæ nullam
 possunt ostendere traducem. Acephali, audent se
 opponere uniuersali cōsensui Christianitatis &
 Christo, qui Ecclesiæ caput est. At ganniūt Chri-
 stum suum esse caput, certè cauda foeda, tradu-
 cem colli, pectoris, & aliorum Christi corporis
 membrorum, ostendere non possunt: catholici ue-
 rò possunt suam fidem ostendere traducis esse cō-
 munionis sanctorum, uniuersorum seculorum &
 omnium nationū: postula à me, inquit dominus,
 & dabo tibi gētes hereditatem tuam, possessio-
 nes tuas, terminos terræ, &c. Sinant igitur no-
 bis nostram ecclesiam, habea ut illi suam Eristi-
 cam

et illud
 quod tollit
 et non
 est

Psalm. 2.

Abusus
nō tollit in
stitutionē.

eam & spinosam, donec ipsi nobis demonstrare
possint certiores. Non enim ideo ecclesia non
est, quia in ipsa sunt multi mali, paucis bonis
admixti, nam & in horreo dominico sunt tritici
cum & palea: in rete Evangelico boni & mali
piscis: ad nuptias uocantur & prudentes & fa-
tuae uirguncula. (abusus reformandos censemus,
ipsam autem ecclesiam matricem minimè abole-
dam.) Augustin. ille maximus, eruditioe et pie-
tate clarissimus antistes, hoc negocium contra
Parmenianum Donatistam tractans lib. 2. ca. 11.
inter cetera sic scribit. Spiritus sanctus in eccle-
sia preposito uel ministro sic inest, ut si fictus
non est, operetur per eum spiritus sanctus, &
ad eius mercedē in salutem sempiternam, & eo-
rum regenerationem uel adificationem, qui per
eum siue consecratur siue euangelizatur. Si au-
tem fictus est, quoniam uerissimè scriptum est,
spiritus sanctus disciplinae effugiet fictum, deest
quidē saluti eius, ut auferat se à cogitationibus,
quae sunt sine intellectu, ministerium tamen eius
non deserit, quo per eam salutem operatur alio-
rum, haec ille. De hac materia uide Theophylas-
tum in cap. Lu. 19. & Augustinū in omnibus li-
bris contra Donatistas. Et D. Chry. Ho. 8. in 1.
Corint. 3. &c. ergo promissio facta hic Aposto-

is non ad Hussitas & dibaphos: sed ad pastores
 ecclesie legitimos pertinet. At ganniūt, Quidē
 annē Spiritus sanctus operatur per tam impios
 prothomystas Christicidas, Hipparchos? Ego
 nullius impietati suffragium ferā & patrocina-
 bor, nec mea ipsa delicta excusare conabor: sed
 hoc plenis buccis intono: si Spiritus sanctus, qui
 digitus Dei est, Luc. 11. non nisi per bonos mini-
 stros operatur, in maximo discrimine certē uer-
 satur ecclesia. Si enim septiformis ille gratia spi-
 ritus per solos bonos operatur, ergo soli boni
 pradicant, nullus apostata: soli boni Eucharis-
 tiam, & alia ecclesie sacramenta administrant:
 certē qui hoc olim in ecclesia approbarunt,
 cum Donatistis anathemate percussi sunt. Euan-
 gelion pradicauit haud dubiē sine detrimento
 catholicorum, miser ille & nulli miserabilis, tri-
 fur Iudas & magistri sui proditor. Et qui tincti
 sunt à Iuda nō minus baptizati sunt, quā quos
 baptizauit Cephas: in hoc tamen differunt, quōd
 ministerium ipsum, Iudæ in perniciem: Petro
 uerō ad foelicitatem cesserit. Ea propter non
 est existimandum, à spiritu ueritatis derelictum
 gregem 1500 annos fuisse, (ubi enim eccle-
 sia, ibi & Spiritus Dei, & ubi spiritus Dei,
 ibi & ecclesia, & omnis gratia, spiritus
 autem

Esai. 11.

Hiero. in Mat. ca. 6.

Irenæus II. 3. ca. 40.

Incredibi-
le est Chri-
stum tam
diu Eccles.
in errore
dereliquisse.

Ecclesia ca-
tholica.

autem ueritas) ac nūc primum funesti cuiusdam
impudentissimis, flagitiosissimisq; scriptis, spiri-
tum illum elicitum nos reuifere uoluisse. Eum e-
nim benignissimum & mitissimum IESVM,
Nympham suam tot sæculis dereliquisse, nullus
est, nisi malo impiorum morbo infectus, qui non
credat. Breviter: Eradicabitur certè & magnū
fragorem suis horis faciet omnis abusus, pater
enim non plantauit: Rursus autem plantatio
Christi, & huius pollicitatio Ecclesie facta, sem-
per uigebit, & in æternum efflorescet. Non po-
terit petridos nauicula submergi: Nihil efficient
aduersus eam fluctus, acto. 14. Nihil tempesta-
tes opinionum, Titum 3. 1. Cori. 11. manet quod
domino semel placuit, & quod dominus semel fe-
cit. ECCLESIA uerò VBI SIT, inquit
Augustinus contra petiliani Donatistæ epistolā,
cap. 2. quæstio certe inter nos uersatur, utrum
apud nos, an apud illos (donatistas) quæ utiq; ut
ex ipso nomine ostenderent, quia per totum est,
secundum enim totum κέθολόν græcè dicitur.
Hæc autem ecclesia corpus est, sicut dicit. Apo-
stolus pro corpore eius, quæ est Ecclesia. Vnde
utiq; manifestum est, eum qui non in membris
Christi est, Christianam salutē habere non posse.
Membra uerò Christi, per unitatis charitatem
sibi

sibi copulantur, et per eandē capiti suo coherēt,
 quod est Christus I E S V S, hęc ille. Catholicum
 autē esse, est ueritatem sensus cōmunis tenere.
 Apertius: ille uerē & germanē catholicus est,
 qui ueritatem Dei, qui ecclesiā, qui Christi cor=
 pus diligit, qui diuinę religioni, qui catholicę fi=
 dei nihil præponit: non hominis cuiuspiam au=
 thoritatem, non amorem, nō ingenium, non elo=
 quentiam, non philosophiam, &c. sed cuncta hęc
 despiciēs, in fide fixus ac stabilis permanēs quic=
 quid uniuersaliter antiquitus ecclesiam Catholi=
 cam tenuisse cognouerit, id solum sibi tenendum
 credendumq; decernit, hęc parergōs. Lactantius
 lib. 4. cap. 30. de ecclesia sic loquitur. Sed ta=
 men, inquit, quia singuli coetus hęreticorum se
 potissimum Christianos & suam esse ecclesiā ca=
 tholicam putant, sciēdum est illam esse ueram in
 qua est religio, confessio, & pœnitentia: quę
 peccata & uulnera, quibus est subiecta imbecil=
 litas carnis, salubriter curat, hactenus Lactan=
 tius. Magna ergo insania est Christo Neonym=
 pho & huius sponsę, ecclesię, nō credere, (assu=
 metur illa, relinquetur synagoga, Ambrosius de
 Cain & Abel, lib. 1. cap. 8.) cuius ueritatem
 sanguis martyrum clamat, Apostolicę resonant
 uoces, prodigia probāt, ratio cōfirmat, mundus

Catholicū
 esse quid
 sit. Et uerē
 catholicus
 quis.

Vbi uera
 ecclesia.

Insania ecc
 clesię non
 credere,

C testas

testatur, elementa loquuntur, demones confitentur. Sed longè altior mægera seu insania de huius ueritate addubitare, maxime uerò & extreme dementia est, ibi nos nolle collaborare ubi à labore itur ad mercedem, quàm ubi à labore itur ad supplicium.

ECCLESIA MONSTRO

sa, distracta & diuisa est in uerbo.

DE ANTIchristi uerò mabhela seu synagoga (quæ & Iudæorū & priscorū, tum nouissimorum eorū, qui Christum et huius sponsam persequuntur corona est) loquitur dominus, Psal. 25. Odiui ecclesiā malignantiū, & cū impijs non sedebo, & c. At obijcitur: prædixit Christus suis Apostolis, dicens: Multi dicent uobis, ecce hic est Christus, ecce illic est, magna erūt disidia dogmatum, & quælibet pars gloriabitur se habere ecclesiā. Quid tali tempore faciendum erit? quis poterit iudicare quæ pars adhercat ecclesiæ Dei? nam alteram partem errare ratio efflagitat. **SCIENTVM** itaq; ueram Euangelij doctrinam, & ueram sacramentorum administrationē, non esse nouā, sed peruetustam, perpetuoq; ab Apostolis et successoribus in ecclesia

Quæ pars
adhæreat
Ecclesiæ
dei.